

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 2, Liber 4: De odio: discordia: et pace

De odio: Rubrica 1

Commented [CN1]: fol.42vb

Salomon in prouerbiis capitulo 10. Odium suscitatur rixas. 26 capitulo. Qui operit odium fraudulenter reuelabitur malitia eius in concilio.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 21. Non oportet amare tanquam oditurum: sed magis odire tanquam amatum.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 9. Temerarius in verbo suo odibilis erit.

Terentius in andria capitulo 3. Ueritas odium parit.

Tullius tusculanarum questionum libro 4. Odium est ira inueterata.

Ouidius sine titulo siue amorum libro i. capitulo 8. Sepe similitudo ira morata facit.

Quintilianus declamationum i. declamatio. Odium omne adurunt oculi: et hunc in pectoribus humanis furentem lumina accendunt. Nec leuis animis accidit insania quotiens quem execraris aspicias. 10. declamatio. O odia plerumque ex inanibus causis aboriuntur. 12. declamatio. Non adeo desunt odiorum cause: ut iam rara similitudo sit: et ut videatur aliquis nihil magis quam malos odisse. 14. declamatio. Omnia facinora nisi fallor causas vel de cupiditate: vel de similitudine trahunt.

Ioannes apostolus et euangelista epistola vnica capitulo i. Qui odit fratrem suum: in tenebris est: et in tenebris ambulat: et nescit quo vadat: quoniam tenebre obscurauerunt oculos eius.

Iuuenalis libro 5. et finali satira 3. et penultima. Inter finitimos vetus atque antiqua similitudo: / Immortale odium et nunquam sanabile vulnus.

Commented [CN2]: fol.43ra

Claudianus libro 3. Non odium terrore moues.

Fulgentius mitologiarum libro i. fabula 6. Mortalium iurgiorum inuidie ternario constantur statu: id est naturali: causali: accidentali. Naturale est odium ut canum et luporum pecudum et luporum: hominum et serpentium. Casuale est ut amoris zelus atque inuidie. Accidens est quod aut verbis causaliter oboritur: ut hominum: aut propter comestiones: ut iumentis.

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 7. Bonos quis nisi stultissimus oderit. Idem topicorum libro 3. Ex arrogancia fit quisque odiosus. Idem in musica libro i. capitulo i. Odiosa est dissimilitudo atque contraria.

Cassiodorus epistolarum libro 10. epistola 11. De elatione odium concitatur.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 23. Aliene nequitie non serues dolorem. Odium a regno dei separat hominem. 45. capitulo. Odium timor generat.

Andreas ad gualterium libro 3. Nullus tanto dilectionis alicui vel amicitie vinculo colligatur: si cognouerit ipsum pro sue vxoris vel filie vel propinque instanter esse amore sollicitum quin statim contra ipsum non accipiat: odii liuore moueri et indignationis venena concipere.

De inuidia: zelo et nemessatione: Rubrica 2

Iob historia capitulo 2. Paruulum occidit inuidia.

Salomon in ecclesiaste capitulo 8. Ait salomon: Contemplatus sum omnes labores hominum et industrias animaduerti patere inuidie proximi.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 12. Ne messare est tristari de eo qui videtur indigne bene agere. Capitulo 13. Inuidia est tristitia quedam super bona actione apparente bonorum circa similes. Inuidebunt quidem tales: quibus sunt aliqui similes aut videntur. Amatores honoris magis inuidiosi sunt quam non amatores honoris. Et opinati sapientes: sunt enim amatores honoris in sapientia. Et vniuersaliter amatores fame circa aliquid inuidiosi sunt contra hoc. 14. capitulo. Zelus est tristitia quedam super apparenti presentia bonorum honorabilium et contingentium sibi accipere preter similes natura: non quia alii: sed quia non et sibi sunt. Zelatius seipsum preparat propter emulationem vt obtineat bona. Inuidus autem vt proximus non habeat propter inuidiam. Necesse cst zelatuios quidem esse dignificantes seipsos bonis que non habent. Iuuenes et magnanimi sunt zelatiui. Idem topicorum libro 2. Inuidia est tristitia in apparenti vtilitate alicuius.

Commented [CN3]: fol.43rb

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 9. Non zeles gloriam et opes peccatoris: non enim scis que futura sit illius subuersio. 30. capitulo. Zelus et iracundia minuunt dies.

Oratius in epistolis 2. capitulo. Inuidus alterius macrescit rebus optimis.

Tullius de oratore libro 2. Laudi atque glorie maxime inuideri solet. Inuidet homines maxime paribus aut inferioribus inuidet sepe vehementer et eo magis si intolerantius se iactant: et equabilitatem communis iuris prestantia dignitatis aut fortune sue transeunt. Plerique sunt inuidi: maximeque hoc commune est vitium. Inuidetur prestanti florentique fortune: vt hic opinio minuatur: et illa excellens opinione fortuna cum laboribus et miseriis permixta videatur. Idem tusculanarum questionum libro 3. Inuidentia egritudo est ex alterius rebus secundis. Idem philippicorum libro 9. Nemo alterius qui sue confidit virtuti inuidet. Idem de essentia mundi. Probus nemini inuidet.

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 15. et finali. Pascitur in inuidis liuor: post fata quisquit. / Tunc si vis ex merito quemque tuetur homo. Idem de arte amandi libro i. Fertiliior seges est alienis semper in agris. / Uicinumque pecus grandius vber habet. Idem de remedio amoris libro i. contra finem. Summa petit liuor: perflant altissima venti. / Summa petunt dextera fulmina missa iouis. Idem de fastis libro 4. Que non liuor adit. Idem de ponto libro 3. epistola 3. Liuor iners vicium: mores non exit in altos. / Utque latens ima vipera serpit humo. Epistola 4. Scripta

Commented [CN4]: fol.43va

placent a morte fere: quia ledere viuos / Liuor. et iniusto: carpere dente solet. Libro 4. et finali epistola 16. et finali. Non solet ingeniis summa nocere dies. / Famaque post cineres maior venit.

Quintilianus declamationum 12. declamatione. Quo non penetrans improbe liuor: quidue scabre malignitati clausum est.

Mattheus in euangelio capitulo 13. Non est propheta sine honore nisi in patria sua et in cognatione sua et in domo sua.

Marcus in euangelio capitulo 6. Non est propheta sine honore nisi in patria sua: et in cognatione sua et in domo sua.

Lucas in euangelio capitulo 4. Nemo propheta acceptus est in patria sua.

Ioannes in euangelio capitulo 4. Propheta in sua patria honorem non habet.

Paulus apostolus epistola ad galathas capitulo 5. Si inuicem mordetis et comeditis: videte ne abinuicem consumamini.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 3. Inuidia fastum ac sermo popularis premet. Arx primi regni est posse ab inuidia pati. Idem epistolarum ad lucillum libro 14. epistola i. Nemo eorum qui in re publica versantur quos vincant sed a quibus vincantur aspicit: et illis non tam iocundum est multos post se videre quam graue est aliquem ante se habere. Idem de consolatione ad paulinum. Edax et inimica est semper alienis perfectibus inuidia. Idem de tranquillitate animi: Alit liuorem infelix inertia: et omnes destrui cupiunt qui se prouehere non possunt. Idem de breuitate vite: In vicino versatur inuidia. Simplicius longe posita miramur. Idem in prouerbiis. Inuidia est dolor animi ex alienis commodis.

Lucanus libro 4. Abscidit nostre multum sors inuida laudi.

Iuuenalis libro 4. satira i. Quosdam precipitat subiecta potentia magne inuidie.

Marcialis cocus epigramaton libro 5. Esse quid dicam quod viuis fama negatur. / Et sua quod rarus tempora lector amat. Hi sunt inuidie nimirum regule mores. / **Preferat** antiquos semper vt illa nouis. Idem libro vndique suscepto capitulo i. Inuidus irrisor rediuuo crimine gaudet. / Et semel irrisum: terque quaterque cupit. Capitulo 2. Inuidie flammam qua tigiline laboras: / Exiccata cutis omnibus insinuat. / Torres inuidia non quintum candide: sed te / Torres inuidia: non alium nisi te.

Ualerius maximus libro 4. titulo de amore et dilectione. Nulla tam modesta felicitas est que malignitatis dentes vitare possit.

Priscianus libro 18. et finali titulo de significatione verborum significantium actionem et transitionem. Inuideo tibi: quasi non inuidens tibi fio: hoc est non ferens te bene agentem videre.

Boetius in libro diuisionum: Quicquid nouum est in pudenti obstinatione obliqui mors obtractionis. Idem de disciplina scholarium libro 2. Inuidia si secundum quid aduenerit: videlicet in discendo gratuita est. Simpliciter vero proprii est auctoris consumptura.

Commented [CN5]: fol.43vb

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 8. Quicquid ex inuidia dicitur veritas non putatur. Libro 6. epistola 22. Maiori cura tractanda sunt vnde inuidia plus timetur. Libro 10. epistola 11. Profectibus quidem proxima est indubitanter inuidia. Inuidia tolerantia melius vincitur: que contentione semper augetur.

Gregorius in pastorali capitulo 35. Inuidi dum liuorem a corde non proiciunt ad apertas operum nequitas deuoluuntur.

Auctor libri qui dicitur pamphilus capitulo 25. Omnia non cessat carpere liuor edax.

Mattheus vindocinensis in poetria parte 2. et finali capitulo 4. Fascinat inuidie: spiritus omne bonum / Inuidia est odium aliene infelicitatis.

Gaufridus in poetria capitulo 18. Pessima res liuor: totus letale venenum.

Iacobus beneuentanus capitulo 6. Ut durum ferrum mordax consumit erugo. / Sic hominis lacerat intima liuor edax.

Prouerbum vulgare. Cane en cosina so par non de sira.

De detractone: Rubrica 3

Psalmista 100. psalmo. Detrahente secreto proximo suo hunc persequer.

Commented [CN6]: fol.44ra

Salomon in prouerbiis capitulo 5. Remoue a te os prauum: et detrahentia labia sint procul a te. 24. capitulo. Abominatio est hominum detractor. Cum detractoribus ne commiscearis. 25. capitulo. Uentus aquilo dissipat pluuias: et facies tristis linguam detrahentem. Idem in ecclesiaste capitulo 10. Si mordeat serpens in silentio nihil eo minus habet qui occulte detrahit.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 4. Nolite detrahare alterutrum.

De inimicitia et inimicis: Rubrica 4

Salomon in prouerbiis capitulo 26. Labis sus intelligitur inimicus cum in corde tractauerit dolos. Quando submiserit vocem suam ne credideris ei: quoniam septe nequitie sunt in corde eius. Qui operit odium fraudulenter reuelabitur malitia eius in concilio. 27. capitulo. Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta odientis oscula.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 6. Factiua inimicitie est ira: epirasmus criminatio.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 12. Non abscondetur in malis inimicus. Non credas inimico tuo in eternum. In labiis suis indulcat inimicus: et in corde suo insidiatur: vt subuertat te in foueam. In oculis suis lachrymatur inimicus et si inueniet tempus non satiabitur a sanguine. Si incurrerint tibi mala: inuenies eum illic priorem.

Tullius tusculanarum questionum libro 4. Inimicitia est ira vlciscendi tempus obseruans. Idem in inuectiua in salustium. Plerumque res publica priuatis crescit inimicitiiis vbi nemo ciuis qualis sit potest labere.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 3. epistola 5. Leue es alienum facit graue inimicum. Idem de remediis fortuitorum capitulo 19. Quomodo aduersus serpentes sic aduersus inimicos auxilia circumspecte: quibus illos aut arceas: aut quod optimum est places. Idem in prouerbiis. Cum inimico nemo in gratiam cito redit. De inimico non loquaris malum: sed cogites. Grauior est inimicus qui latet. **Inimicum** quamuis humilem docti est metuere. Loquax inimicus minus quam taciturnus offendit. Miserrima est fortuna que inimico caret.

Commented [CN7]: fol.44rb

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 9. Que pestis est efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus.

Bertrandus iconomica capitulo 8. Non semper gladio: sed sepe seruitio vincitur inimicus. Capitulo 9. Habens inimicum capitale in carcerem positus est. Habes inimicum capitale: queras oculum tuum pro tuo custode. Si habes inimicum: conuersationem non habeas cum ignotis. Semper cogita quod inimicus sagax cogitat inimici vias. Debilitas inimici non est tibi loco pacis: sed treuga ad tempus. Si te securas non cogitare inimicum quem tu cogitas: periculo te exponis.

Iacobus beneuentanus capitulo 26. Non inimicitie si potes subditus esto. / Anihilat census: corpus et ipse vacat. / Corpus res animam pernix ad perditionem / Fert inimicitia: consulo nate caue.

Prouerbiu vulgare. Lo senge de enemigo e como passare a panigo.

De discordia: Rubrica 5

Salomon in prouerbiis capitulo 30. Qui prouocat iras producit discordias.

Salustius in iugurtino. Concordia parue res crescunt: discordia maxime dilabuntur.

Tullius de amicitia: Que domus tam stabilis: que ciuitas tam firma est: que non odiis et dissidiis funditus possit euerti.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 4. Unde bella et lites inter vos: nonne hinc ex concupiscentiis vestris qui militant in membris vestris.

Paulus apostolus epistola ad galathas capitulo 5. Si inuicem mordetis et comeditis: videte ne abinuicem consumamini.

Lex digestorum titulo de arboribus l. item sisinnus. §. finali. Naturalis facilitas hominum est ad dissentendum. Titulo de seruitibus vrbanorum predidiorum l. in re communi. Propter immensas contentiones plerumque res ad diuisionem peruenit. Titulo de legatis ii. l. cum pater. §. dulcissimis. Communio solet excitare discordias.

Prudentius de psicomachia capitulo 10. Nil dissociabile firmum est.

Prosper sub vltimo capitulo. Undique bella fremunt: omnes furor excitat armis. / Incumbunt reges: regibus inumeris / Impia confuso: seuit discordia mundo. / Pax abiit terris.

Commented [CN8]: fol.44va

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 11. Ut probis atque improbis nullum fedus est ita ipsi inter se improbi nequeunt conuenire. Quidni: cum a semetipsis discrepantibus conscientia vitiis improbi quique dissentiant.

Gregorius in pastorali capitulo 48. Omnes qui per discordiam separantur a viriditate dilectionis arescunt.

Prouerbiu vulgare. La guerra alarga entra estretta en sua.

De susurratione et seminatione discordiarum: Rubrica 6

In leuitico capitulo 19. Non eris criminator nec susurro in populis.

Solomon in prouerbiis capitulo 22. Qui seminat iniquitatem: metet mala. 26. capitulo. Cum deserit lingua extinguetur ignis: et susurrone subtracto iurgia conquiescunt. Uerba susurronis quasi simplicia: et ipsa perueniunt vsque ad intima ventris.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Non appellaueris susurro in via tua: et lingua tua ne capiaris et confundaris. Susurratori odium et inimicitia et contumelia. 21. capitulo. Susurro coinquinabit animam suam: et in omnibus odietur. 28. capitulo. Uir peccator turbabit amicos: et in medio pacem habentium mittit inimicitiam. Susurro et bilinguis maledictus multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commouit: et dispersit illos de gente in gentem: ciuitates muratas diuitum destruxit: et domos magnatorum effodit: virtutes populorum concidit et gentes dissoluit: lingua tertia mulieres viratas eiecit: et priuauit illas laboribus suis. Qui respicit. illam non habebit requiem: nec habebit amicum in quo requiescat. Beatus est qui tectus est a lingua nequam. Noli audire nequam linguam.

Ualerius maximus libro 7. titulo vafredicta aut facta. Tullius dux volsorum ad bellum inferendum romanis maxima cupiditate accensus cum aliquos aduersus preliis contusos animos suorum: et ob id pacis proniores animaduertit: insidiosa ratione quo dolebat compulit. Nam cum spectandorum ludorum gratia magna volsorum multitudo romam conuenisset: consulibus dixit vehementer se timere nequit hostile subito molirentur: monuitque vt essent cautiore: et protinus ipse vrbe egressus est. Quam rem consules ad senatum detulerunt: qui tam et si nulla suspitio suberat: auctoritate tamen tuli: commotus vt ante noctem volsoci abirent decreuit. Qua contumelia imitati facilem pelli potuerunt ad rebellandum. Ita mendacium versuti ducis simulatione beniuolentie inuolutum duos simul populos fefellit: romanum vt insontes notaret volsorum vt deceptus irasceret.

Commented [CN9]: fol.44vb

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 3. Neminem susurro appetas: neminem effodias.

Gregorius in pastorali capitulo 48. Seminantes discordiam charitatem: quae nimirum virtutum est omnium mater extinguit.

Gualterius de castellione libro i. Consultor procerum seruos contemne bilingues.

De contentionibus: Rubrica 7

Salomon in prouerbiis capitulo 3. Ne contendas aduersus hominem frustra. 24. capitulo. Ne contendas cum pessimis. 20. capitulo. Honorem homini qui se separat a contentionibus. 29. capitulo. Uir sapiens si cum stulto contenderit siue irascatur siue rideat: non inueniet requiem.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 8. Non litiges cum homine linguato: et ne struas ignem illius lingua. 11. capitulo. De ea re que te non molestat ne certaueris.

Oratius in epistolis libro i. epistola 19. Alter rixatur delana sepe caprina.

Paulus apostolus in epistola 2. ad timotheum capitulo 2. Noli verbis contendere: ad nihilum enim vile est: nisi ad subuersionem audientium. Ineptas et sine disciplina questiones de uita: sciens quia generant lites.

Seneca de ira libro 2. Cum pari contendere **ancepes** est: cum superiore furiosum: cum inferiore sordidum.

Commented [CN10]: fol.45ra

Lex digestorum titulo de seruitutibus urbanorum prediorum. 1. in re communi. Propter immensas cogitationes plerumque res ad diuisionem peruenit.

Auctor libri de formula honeste uite capitulo 4. Contententi facile cede: nec iniurgia disceptationesque descendas.

Ambrosius de officiis libro i. capitulo 2. Absit pertinax in familiari sermone contentio: questiones enim magis excitare inanes quam utilitatis aliquid afferre solet.

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18. exau. liberii: Nimium altercando veritas amittitur.

Cato capitulo 2. Contra verbosos noli contendere verbis. Capitulo 3. Aduersum notum noli contendere verbis. / Lis minimis verbis: interdum maxima crescit.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 26. Caue contentiones. Contentio rixas gignit. Contentio faces odiorum accendit. Contentio pacem cordis extinguit. Contentio concordiam rumpit. Libro 2. capitulo 43. Cede cito veritati. In omni disputatione tene rationem.

De rixis et scandalis: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 10. Odium suscitatur rixas. 15. capitulo. Uir iracundus prouocat rixas: qui patiens est mitigatur suscitatur. 18. capitulo. Labia stulti immiscent se rixis: et os eius iurgia prouocat.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 8. Cum iracundo non facies rixam. 27. Effusio sanguinis in rixam superborum.

Mattheus in euangelio capitulo 18. Uhe mundo a scandalis. Necessum est ut veniant scandala: veruntamen vhe homini per quem scandalum venit.

Cato capitulo 2. Rumores fuge: ne incipias nouus auctor haberi.

Isidorus soliloquiorum libro 2. et finali capitulo 26. Fuge rixam.

Iacobus beneuentanus capitulo 5. Lingua odium parit: et faciet tibi litem. / Effreni lingua: surgere bella solent.

Prouerbiium vulgare. Del can grintoso: enoforzoso guai la pelle.

Commented [CN11]: fol.45rb

De litibus et iurgiis: Rubrica 9

Salomon in prouerbiis capitulo 13. Inter superbos semper iurgia sunt. 17. capitulo. Melior est bucella sicca cum gaudio quam domus plena victimis cum iurgio. Semper iurgia querit malus. 18. capitulo. Os stulti iurgia prouocat.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 8. Non litiges cum homine potente: ne forte incidas in manus illius. Non contendas cum viro locuplete: ne econtra consistat litem tibi: multos enim perdidit aurum et argentum vsque corregum extendit et conuertit. 28. capitulo. Abstine te a lite: et minues peccata. Homo iracundus incendit litem.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 5. scilicet de pictago. Pictagus mitilenus qui fuit vnus de septem sapientibus dicebat: Non obiurgare amicum immo nec inimicum.

Ouidius de arte amandi libro i. Iurgia precipue vino stimulata caueto. / Est nimium facilis ad fera bella manus. Libro 2. Esse procul lites: et amare premia lingue.

Paulus apostolus in epistola 2. ad timotheum capitulo 2. Seruum deo non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes: docibilem: patientem: cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.

Seneca de ira libro 2. Cum pari contendere anceps est: cum superiore furiosum: cum inferiori sordidum.

Paladius de agricultura capitulo 6. Uno vel colono consinia possidenti qui fundum aut agrum suum locat: damnis suis ac litibus studet.

Lex digestorum titulo de alienatione iudicii etc. l. item si res. in fine. Uerecunda cogitatio eius qui lites execratur: non est vituperanda. Lex codicum titulo de iudiciis l. properatur dum. in pn. Sepe cause pecuniarie materiam criminalibus creare noscuntur.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 4. Non in iurgia disceptationesque descendas.

Cato capitulo 3. Litem inferre caue cum quo tibi gratia iuncta est.

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 37. Longa questio litigantium non tam auget patrimonia quam euertit. Libro 11. epistola 9. Si queritis lucra: vitate potius damnosa litigia.

Commented [CN12]: fol.45va

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 25. Nullus existat sermo iurgiorum qui concordiam diuidat. 26. capitulo. Uita lites. Tolle occasionem litis.

Iacobus beneuentanus capitulo 29. Hoc tibi precipio: vites vt placita semper: / Si poteris: quoniam prelia sepe mouent. / Questio res minuit: odium creat: incitat iram. / Pro lucro damnum: ducere sepe solet.

De seditionibus ciuium: Rubrica 10

Aristoteles polliticorum libro 4. capitulo 4. Ubi multum quid intermedium minime fiunt conturbationes et dissentiones polliciarum. Et magne ciuitates sunt magis sine seditionibus propter eandem causam: quia multum quod medium. In paruis autem facile diuidere omnes in duo: vt nihil relinquatur medium: et omnes fere egeni vel opulenti sunt. Libro 5. capitulo i. Ubique propter inequale seditio est. Totaliter equale querentes: seditiones faciunt. Minores existentes ciues: vt equales sint: seditiones faciunt: et equales existentes vt maiores. De quibus dissident ciues sunt lucrum et honor. Capitulo 4. Debile quod seditione diuisum est. 7. capitulo. Regnum ab extrinsecis minime corrumpitur: propter quod et multi temporis est. Ex seipso plurime corruptiones accidunt.

Tullius de officiis libro i. capitulo 19. Qui parti ciuium consulunt partem negligunt rem perniciosam: in ciuitate adducunt: seditionem atque discordiam. Idem philippicorum libro 7. Forenses cause legens iudicia esse non possunt ciuili pace sublata. Libro 2. et penultimo. Nec priuatos socos: nec publicas leges: nec libertatis iura videtur cara habere: quem discordie: quem cedes ciuium: quem bellum ciuile delectat: eumque ex numero hominum eiiciendum: et exterminis humane nature exterminandum puto. Nihil hoc ciue: nihil hoc homine deterius: non autem ciuis: aut homo habendus est qui ciuile bellum concupiscit.

Mattheus in euangelio capitulo 12. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Et omnis ciuitas vel domus contra se non stabit.

Marcus in euangelio capitulo 3. Si regnum in se diuidatur: non potest stare regnum illud. Et si domus super semetipsa despiciatur: non poterat domus illa stare.

Commented [CN13]: fol.45vb

Uegetius de re militari libro 3. titulo 10. Nulla quamuis minima natio potest ab aduersariis perdeleri nisi propriis facultatibus seipsam consumpserit. Nam ciuile odium ad inimicorum perniciem preceps est: ad vtilitatem sue defensionis incautum.

Lucanus libro 2. Summum brute nephas ciuilia bella fatemur.

Lex digestorum titulo de captiuis et postliminio reuersis l. siquis ingenuam. §. pe. Per ciuiles dissentiones: semper res publica leditur.

Proclus de theologicis elementationibus propositione 86. Partitio quidem dispergit et dissoluit vnius cuiusque potentiam.

Prouerbum vulgare. Cita e perita quando la e diuisa. Regno e conchiso da che le diuiso.

De tranquillitate populorum: Rubrica 11

Cassiodorus epistolarum libro i. capitulo i. Omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas in qua et populi proficiunt: et vtilitas gentium custoditur. Hec est enim bonarum artium mater: hec mortalium genus reparabili successione multiplicans facultates protendit: mores extollit. Et tantarum rerum ignarus agnoscitur qui eam minime quesisse sentitur. 4. epistola. Cogi debet vt sit quietus qui suo vicio renuit esse pacificus. 22. epistola. Decet regalis apicis curam generalitatis custodire concordiam. Ad laudem regnantis trahitur si ab omnibus pax ametur. Libro 2. epistola 29. Regnantis est gloria subiectionum ociosa tranquillitas. Libro 3. epistola 38. Principis opinionem longe lateque disseminat subiectionum custodita securitas. Libro 5. epistola 39. Quies suauissima populi et dispositio tranquilla regionum preconium probatur esse regnantium. Libro 11. epistola 9. Furoris genus est in seculo pacato turbulento studere proposito.

De satisfactione illate iniurie: Rubrica 12

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 22. Si contristaueris in aliquo fratrem tuum: satisfac illi. Si peccaueris in eum: age penitentiam coram illo. Si offenderis quemquam: re propitiare eum prece. Perge velociter ad reconciliationem proximi tui. Offensioni tue cito veniam postula. Non requiescas nisi reconciliatus fueris fratri.

De pace et concordia: Rubrica 13

Iob historia capitulo 22. Acquiesce omnipotenti: et habeto pacem: et per hoc habebis fructus optimos.

Psalmistae 33. psalmo. Inquire pacem et persequere eam. 36. psalmo. Sunt reliquie homini pacifico. 84. psalmo. Iustitia et pax osculate sunt.

Salomon in prouerbiis capitulo 12. Qui pacis ineunt: consilia sequitur eos gaudium. 16. capitulo. Cum placuerint domino vie hominis: inimicos quoque eius conuertet ad pacem.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 7. scilicet de cleobolo. Cleobolus vnus de septem sapientibus dicebat inimicum amicum faciendum.

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo i. Concordia simile aliquid amicitie videtur esse.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Prosequatur te verbum pacis et iustitie. 25. capitulo. Ait iesus filius sirach. In tribus placitum est spiritui meo que sunt probata coram deo et hominibus: Concordia fratrum et amor proximorum: Et vir et mulier sibi consequentes. 28. capitulo. Memento nouissimorum: et desine inimicari: tabitudo enim et mors imminent in mandatis.

Salustius in iugurtino: Concordia prae res crescunt: discordia maxime dilabuntur.

Uirgilius eneide libro 11. circa medium: Pacem laudate sedentes.

Tullius de amicitia: Quanta vis amicitie concordieque sit ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Idem philippicorum libro 2. Nomen pacis dulce est: et ipsa res salutaris. Pax est

Commented [CN14]: fol.46r

tranquilla libertas. Libro 12. et penultimo. Dulce est nomen pacis: res vero ipsa tum iocunda tum salutaris.

Ovidius de fastis libro i. Pax cerere nutritur pacis alumna ceres. Libro 4. Pace ceres leta est: et vos orate coloni. / Perpetuam pacem: pacisicumque ducem.

Quintilianus declamationum 8. declamatione. Semper odiorum honestus occasus est: et dum simultates nihil aliud habent quam nocendi cupiditatem: speciosa in melius animi mutatio est cum exempli honore.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Beati pacifici: quoniam ipsi filii dei vocabuntur. 9. capitulo. Ait iesus discipulis suis: Pacem habete inter vos.

Ioannes apostolus in euangelio. Ait iesus discipulis suis quoniam morti appropinquabat: Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis.

Petrus apostolus in epistola i. capitulo 2. Qui vult vitam diligere et videre dies bonos coherceat linguam suam a malo et labia sua ne loquantur dolum declinet a malo et faciat bonum: inquiret pacem et sequatur eam.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 18. Que pacis sunt sectemur. Idem epistola ad collossenses capitulo 3. et penultimo. Pax christi exulet in cordibus vestris: in qua et vocati estis in vno corpore. Idem epistola 2. ad timotheum capitulo 2. Sectare iustitiam: fidem: charitatem: pacem. Idem in epistola ad hebreos capitulo 12. Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam: sine qua nemo videbit deum.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 3. Pacem reduci velle victori expedit: victo necesse est. Idem epistolarum ad lucillum libro 8. epistola i. Non est dubium quin felicior pax sit nunquam lacessita: quam multo reparata sanguine. Idem de ira libro 2. Quid est gloriosius quam iram in amiciciam commutare. Idem in prouerbiis: Pacem cum omnibus habeas: bellum cum vitiis: Semper dissensio ab alio incipiat a te reconciliatio.

Ualerius maximus libro 2. titulo de institutis antiquis. Conuiuium solemne maiores instituerunt: idque caritatem appellauerunt: cui preter cognatos et affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarias **personas** querela esset orta apud sacra mense et inter hilaritatem animorum a fautoribus concordie tolleretur. Libro 4. titulo 2. Sicut placidum mare ex asperso celumque ex nubilo serenum hilari aspectu sentitur: sic bellum pace mutatum plurimum gaudii affert. Speciosius aliquando iniurie beneficio vincuntur quam mutui odii pertinacia pensantur.

Prudentius de psicomachia capitulo 10. Pax plenum virtutis opus: pax summa laborum. / Pax belli exacti precium est: preciumque periculi. / Nil placidum sine pace deo.

Prosper sub vltimo capitulo. Insontem vitam pacis amator agit.

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 43. Non est leue prudentes viros in pacis instituta peccare. Libro 11. epistola 9. Transigite semper innoxii. Libro 12. et finali epistola 3. Uiri fortes semper in pace modesti sunt.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 25. Pacem cum omnibus retine. 26. capitulo. Uive semper in pace.

Mattheus vindocinensis de historia tobie capitulo 40. Esto pacificus: fuge iurgia vincula pacis / Celica sunt anime pocula: corpus alunt. / Plausus alit gentes.

Prouerbium vulgare: Rason mete pace. / Chi non se vole enganare tosto sacorda. / Beato se proua chi in pace se troua.

De causis inducentibus pacem et concordiam: Rubrica 14

Aristoteles politicorum libro 5. capitulo 3. Congregat etiam separatissimos communis timor.

Lucas in euangelio capitulo 23. et penultimo. Multitudo iudeorum duxerunt iesum captum ad pilatum etc. dicens: commouit populum docens per vniuersam iudeam: et incipiens a galilea vsque huc. Pilatus autem audiens galileam: interrogauit si homo galileus esset. Et vt cognouit quod de herodis potestate esset remisit eum ad herodem qui et ipse hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem visu iesu gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum: eo quod audierat multa de illo: et sperabat signum aliquot ab eo fieri. Interrogabat autem illum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat etc. Spreuit autem illum herodes et illudit indutum veste alba: et remisit ad pilatum: et facti sunt amici herodes et pilatus ex ipsa die: nam antea inimici erant adinuicem.

Statius thebiad libro 7. Socii pacem fecere timores.

Frontinus libro i. titulo 9. L. sulla cum legiones ciuium romanorum pernitiōsa seditione furerent concilio restituit sanitatem efferatis prope enim annunciari iussit hostem adesse: et ad arma vocantem clamorem tolli: signa canere. Discussa seditio est: vniuersis aduersus hostem consentientibus. Titulo 10. scilicet corilo dux dacorum cum sciret dissociatum armis ciuilibus populum romanum: neque tamen tentandum arbitraretur: quia externo bello posset concordiam in ciues calescere duos canes in conspectu popularium commisit: hisque acerrime inter ipsos pugnantibus lupum ostendit: quem protinus canes omīssa inter se ira agressi sunt. Quo exemplo prohibuit barbaros ab impetu romanis profuturo.

Commented [CN16]: fol.46vb